

§. 37. Sed hæc erat *absoluta* Principiorum in demon- *Respectu*  
 ſtrando occurrentium conſideratio. *loquendo,*  
 ſum ulterioſem ipſa ſubeunt diſtinctionem: aut enim Prin- *sunt*  
 cipia propoſitæ diſciplinæ quam ingrediuntur propria *Vel Propria*  
 ſunt, nec in aliâ quadam naſcuntur, ut ſunt Obſervationes  
 phyſicæ in ipſa Phyſicâ, & ethicæ in Ethicâ, & aſtronomica  
 in Aſtronomiâ; aut à generaliſſima, cui hæc ipſa ſubordinata *Vel Mutua*  
 eſt, hûc transferuntur, & inde quaſi mutuò petuntur, ut ſunt *titia.*  
 Axiomata metaphyſica in omnibus aliis diſciplinis, geome-  
 trica in Phyſicis & Matheſi mixtâ, ethica in Juridicis &c. Il-  
 la *Principia* dico *Propria*; hæc *Mutua*: illa ſpeciales & de-  
 terminatæ cauſæ ſunt; hæc univerſales & indeterminatæ,  
 quod ex inſpectione diſciplinarum Euclideâ methodo  
 gaudentium meliùs intelligere licebit.

## ANALYSEOS Ariſtotelico-Euclideæ

ſect. III.

### DE METHODO.

MEMBRUM I.

#### *De Methodo Particulari.*

CAPUT I.

#### De Præparamentis demonſtrativis.

§. I.

**P**ræmiſſis præmittendis ad Praxin demonſtrativam *In Praxi de-*  
 nunc accedimus, non exercitè ſpectatam, niſi quantum *monſtrati-*  
 ejo redundat in præſens negotium; ſed ſignatè tantùm, *ſc.*  
 id in quo verus demonſtrandi modus conſiſtit genera-  
 liter, & eatenus etiam demonſtrativè, ſi quæ ducturi ſumus  
 immediatè non fluant ex ratione, determinando. Neceſſum  
 enim eſſe videtur, ut modum ſciendi hîc quaerentes, niſi in-

S 3

telli-